QVÆSTIONES QVATVOR CVM ADIVNCTIS ASSERTIONIBVS, QVIBVS præcipua quædam capita doctrinæ cœlestis compræhenduntur,

Futuris Doctoribus Theologiæ propositæ Lipsiæ V. I D. Septembris, & postea ab ijsdem publica Disputatione repetitæ.



LIPSIÆ
Iohannes Rhamba excudebat
Anno
M. D. LXXIII.

Prima Quæstio tradita D. Vuolfgango Hardero.

QVÆSTIO.

V. Homo ad imaginem DEI conditus, propter peccatum, quod ſuadente Sathana per hominem introijt in mundum: Eſtq; defectus, inclinatio & actio pugnans cum lege Dei & offendens Deum:

Sit miſerijs & ipſi morti in hac vita ſubiectus, ac reus coram Deo æternarum pœnarum, niſi facta fuerit originalis & actualis peccati propter Mediatorem Chriſtum remiſsio?

I.

QVemadmodum ſola Chriſti Eccleſia, reliqua Chriſtianæ religionis vera dogmata ex verbo diuinitus reuelato cognoſcit & tenet: ita & verum iudicium ſententiamq; ex teſtimonijs Prophetarum & Apoſtolorum de peccato, vnde, & quid ſit peccatum, habet & pronunciat.

II.

Mirati sunt viri sapientes, & adhuc mirantur, vnde sit in genere humano tanta confusio, dissidium rationis & affectuum, varia scelerum, calamitatum ac morborum genera: Et ipsa denique mors: cum Deus sit caussa boni in natura, & cum ordo naturæ plurimis in rebus talis obseruetur, vt creaturæ diuinis præscriptis legibus obtemperent. Oritur enim & occidit Sol quotidiè, crescit ac decrescit singulis mensibus Luna, feruntur motu suo Planetæ, crescunt herbæ, conseruantur generatione species animalium, etiam ratione carentium, manentq; perennitates fluminum.

III.

Vera piaq; est sententia, vtraq; manu & toto pectore in Ecclesia Christi tenenda: Deum non esse autorem seu conditorem peccati, nec uelle nec approbare peccata, sed horribiliter irasci peccato, & odio id prosequi, & iram suam aduersus hominum peccata; per legem per λύτρον quod soluit Christus pro peccatis hominum, & deniq; per alias innumerabiles calamitates, quibus homines opprimuntur, declarasse & manifestasse. Vnde Moses ait: Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. Et Dauid inquit: Non Deus uolens iniquitatem tu es. Zachar. 8. Vnusquisq; malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus uestris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. Testatur & Ioh. concupiscentiam carnis non ex Deo esse, sed ex mundo, & idem

refert

refert in Euangelica sua historia, Omnia per Christum facta, & sine ipso factum esse nihil. Et dignū est hoc loco consideratione D. Augustini testimonium, quod extat in enarratione Psal. 68. Iniquitas non est natura, quam formauit Deus, sed iniquitas est peruersitas, quam fecit homo. Item: Naturæ per Deum factæ sunt, iniquitas per ipsum facta non est.

IIII.

Voluntatem Diaboli qui falsa promißione persuasit mulieri, vt contra diuinum præceptum de prohibito fructu comederet, & hominis voluntatem, qua primi parentes liberè se auerterunt à Deo, caussam esse peccati, communi Catholicæ Ecclesiæ consensu, claris testimonijs Scripturæ nitente, omißis intricatis periculosisq; disputationibus, & labyrinthis affirmamus. Introijt enim per vnum hominem peccatum in mundum, & propter peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit in eo quod omnes peccauimus. Non est peccatum res condita à Deo, auertit se primus homo libertate voluntatis suæ à Deo, & excußit dona Dei, & secuta est post lapsum horrenda destructio, quam postea propagauit in omnem posteritatem suam.

V.

Nomen peccati in ecclesiastica doctrina, non modo significat viciosas internas & externas actiones pugnantes cum rectæ rationis iudicio, sed etiam congenitam quandam naturæ prauitatem:

 fontem

fontem radicemq; reliquorum peccatorum, malumq; pugnãs cum lege Dei, vnde communem peccati descriptionem, quam Magist. Sententiarum Lib. 2. distinct. 35. ex libro 22. cap. 27. contra Faustum Aug. mutuò acceptam tradidit: Peccatum est omne dictum, uel factum, uel concupitum contra legem Dei, insufficientem esse asserimus.

VI.

Pia, erudita, breuis definitio traditur in Iohannis 1. Epistola capit. 3. ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία: Peccatum est quicquid est contra legem Dei, quicquid dissentit à norma legis diuinæ. Debet autem hæc peccati definitio intelligi, non modo de viciosis actionibus, sed etiam de interioribus defectibus, caligine in mente, auersione in voluntate, contumacia in corde, & de ipso reatu, quo homo reus est æternæ iræ Dei, & pœnæ propter peccatum. Hinc in Ecclesia & Schola nostra retinemus quoq; communem peccati definitionem, qua verba Apost. Iohannis explicantur: Peccatum est defectus, inclinatio & actio pugnãs cum lege Dei, & ream faciens creaturam æternæ iræ, nisi fiat remissio propter Mediatorem Christum. Accipitur interdum quoq; more Prophetarum & Apostolorum dictio peccati, pro oblatione siue victima, quæ offertur pro peccatis. Hos. cap. 4. Peccatum populi commedunt, & anima eorum delectatur iniquitate eorum. 2. Cor. 5. Τὸν γὰρ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν.

Præcla-

VII.

Præclaræ sunt in scripturis Propheticis & Apostolicis sentētiæ, quæ affirmant homines post lapsum primorum parentum, secundum naturam propagatos cum peccato nasci, non sibi enim solum primus homo delinquēdo corruptionem naturæ, mortem, æternam pœnam accersiuit, sed simul etiam in idem exitium omnes posteros suos coniecit & præcipitauit. Transit enim peccatum & corruptio naturæ, vnà cum reatu à primis parentibus in ipsorum posteritatem, sicut putredo radicis in ramos, & lepra parentum in liberos transfundi & transmitti solet.

VIII.

Non igitur rea est hominum natura tantum propter primi hominis delictum, sed simul corrupta viciataq́ue est in omnibus partibus, & rea est quoque propria culpa secundum scripturæ testimonia, Genes. 6. & 8. Figmentum seu plasma cogitationum & cordis malum à pueritia. Ierem. 17. Cor hominis peruersum & ærumnosum. Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ephes. cap. 2. Eramus natura filij iræ quemadmodum & cæteri. August. de fide ad Petrum Diaconum cap. 26. inquit: Firmissimè tene & nullatenus dubites, Omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortiq́ue subiectum, & ob hoc natura, iræ filium nasci, à qua ira nullus liberatur nisi per fidem Mediatoris

Dei & hominis, IESV CHRISTI, *qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est, id est, Sacrificium factus est pro peccatis nostris.*

IX.

Hinc veteres docendi gratia duas peccati species tradiderunt, quarum alteram peccatum Originale, alteram Actuale nominarunt. Comprehendimus autem nomine peccati originis, reatum propter Adæ lapsum, propter priuationem, defectum lucis diuinæ, firmæ agnitionis Dei in mentibus hominum, & propter auersionem voluntatis à Deo, ac propter contumaciam cordis, quæ mala secuta sunt omnia lapsum primorum parentum in natura hominum, & sunt inimicitiæ aduersus Deum, pugnantes cum lege diuina, & damnatæ à Deo. Habent nati ex virili semine varios defectus & prauam concupiscentiam, carent luce in mente vera, videlicet noticia Dei, vera dilectione Dei & fide, non habent vim, potentiam siue donum efficiendi timorem Dei, & fiduciam erga Deum diligendi Deum, & implendi legem Dei, sed adest cæcitas mentis, auersio voluntatis à Deo, contumacia cordis repugnans legi Dei, horrenda deniq; ἀταξία in reliquis viribus humanis, corruptio naturæ, deprauatio imaginis Dei, ad quam homo conditus fuit. Hanc naturæ corruptionem siue defectum significarunt etiam scholastici doctores suis peccati Originis descriptionibus. Hugo affirmat peccatum

origi-

originale esse ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne. Anshelmus statuit hoc idem, peccatum esse carentiam iustitiæ Originalis debitæ inesse. Significatq; iustitia Originalis acceptionem & rectitudinem quæ fuit ante lapsum, *videlicet lucem & firmam agnitionem Dei in mente hominis, & congruentiam voluntatis & cordis cum Deo, qui in hominibus uelut in templo suo habitasset, & suam sapientiam, iustitiam & læticiam eis communicasset, si non essent lapsi. Hinc conqueritur Paulus de corruptione naturæ humanæ Roman 3. Omnes peccauerunt & destituuntur gloria Dei. Rom. 8. Affectus carnis inimica est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. 1. Cor. 2. Animalis homo non accipit ea quæ sunt Spiritus.*

X.

Reliquias quoq; post lapsum imaginis Dei, vt sunt noticiæ in mente ςοςγαὶ φυσικαὶ *in corde, & libertas regendi locomotiuam in voluntate, actiones, motus, appetitiones naturales, intellectus & voluntatis & cordis, deprauatas pollutasq; esse indicamus peccato originis.*

XI.

Intelligimus porro in Ecclesiæ doctrina, nomine peccati, non solum commemoratos defectus siue morbos naturæ, seu legem membrorum, concupiscentiam carnis siue materiale, siue fomitem

peccati, vt Scholastici nominarunt, ſed etiam formale peccati, ipſum reatum, homines nimirum propter lapſum primorum parentum, propter naturæ corruptionem, defectus, prauas inclinationes, coram Deo reos eſſe, dignos morte æterna, & mereri pœnas tum temporales tum æternas. Hinc Apoſtolus ſtatuit homines natura eſſe filios iræ, & per vnius hominis inobœdientiam multos conſtitutos eſſe peccatores, & peruaſiſſe mortem in omnes homines. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur: ita per Chriſtum omnes viuificabuntur. Maledictus etiam, ait Moſes, qui non permanſerit in lege, vt faciat ea.

XII.

Tria ſunt grauiſſima teſtimonia, quæ oſtendunt magnitudinem peccati originis, quod ſit nimirum ἀνομία, id eſt, res diſcrepans à lege Dei: dignitas victimæ filij Dei, qui λύτρον perſoluit pro peccatis hominum: magnitudo calamitatum humanarum, & ipſa mors, quibus ſancti homines, & ipſi infantes teneræ ætatis ſubiecti ſunt: tandem & ipſi piorum lapſus. Dubitauit Moſes ad rupem, vnde aquam elicere iuſſus fuerat. Aſſenſit Aaron facientibus vitulum. Incidit Dauid in adulterium, homicidium, & in reliqua peccata.

XIII.

Errant igitur, qui more Philoſophorum & Ieſuitarum, dictionem peccati de externa tantum actione,

actione, & non etiam de corruptione naturæ intelligunt, & nihil habere rationem peccati affirmant, nisi quod fiat à consentiente & volente. Errant etiam qui sentiũt peccatum originale tantum reatum esse siue pœnam, conditionem, seruitutem mortis, propter lapsum primorum parentum, & non esse positiuam aliquam prauitatem hærentem in natura humana, nec post baptismum vicium originale rectè vereq; sua natura dici & esse peccatum, sed tantum fomitem siue caussam peccati esse quiddam ἀδιάφορον.

XIIII.

Damnamus Pelagianos, qui negant peccatum originis & tradunt homines, imitatione tantum fieri peccatores inobœdientiæ primorum parentum, & humanis viribus posse legem Dei implere, ac iustos pronunciari coram Deo, propter honestæ rationis opera, quam opinionem etiam Pharisæos & Monachos olim defendisse constat.

XV.

Detestamur insuper impium & absurdum dogma Manicheorum veterum & recentium, qui duos Deos seu conditores bonum nimirum & malum finxerunt, & hominem nondum renatum post lapsum primorum parentum, esse creaturam sathanæ, & humano cordi impressam, informatamq; esse imaginem Diaboli, & aliam substantiam in homine effectam esse à sathana, ac deniq; peccatum originale

originale esse animam hominis rationalem, quorum erroribus pugnantibus contra primum symboli Apostolici articulum, hoc loco tantum opponere placuit diui Augustini sententiam, & scripturæ quædam testimonia, quibus manifestum fit, hominem, creaturam, opus donumq; Dei esse, ac discernendam esse inter naturam ipsam, quæ per se bona, & à Deo est, & inter vicium, quo natura hominis per peccatum Adæ deprauata est. August. de natura & gratia contra Pelagianos cap. 3. Omnia bona, quæ habet natura hominis in formatione, vita, sensibus mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo, Vicium uero, quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione, curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice cõtractum est, sed ex Originali peccato quod commissum est libero arbitrio. Et tractatu 42. super Iohan. inquit idem autor: Quod homo est ex Deo est, quod peccator, non ex Deo. A natura vicium secernatur, agnoscatur natura, vnde creator laudetur, agnoscatur vicium, propter quod medicus inuocetur. Genes. 33. Paruuli sunt quos donauit mihi Deus seruo tuo. Iob. 31. Quid faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit quid respondebo illi? Nunquid nõ in vtero fecit me, & qui & illum operatus est, & formauit me in vulua unus? Psal. 100. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos. Psal. 139. Informem massam meam viderunt oculi tui &c. Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt: Item: Pater meus adhuc operatur & ego operor.

Est

XVI.

Est porro peccatum originale uelut fornax accensa, quæ sine intermißione alia peccata & scelera efflat, quibus ira Dei magis prouocatur, & maior paratur pernities. Hinc enim pullulascunt viciosi affectus: Dubitatio de Deo, diffidentia, neglectio cœlestis doctrinæ, temeritas in fingendis opinionibus & cultibus. Hinc erumpunt improbæ voces, è quibus odia, inimicitiæ, parricidia, & alia quamplurima mala nascuntur, contra legem Dei. Hinc Christus dixit Mat. 12. & 15. Malus homo ex malo thesauro depromit mala. Item: Ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia & conuicia. Rom. 7. Peccatum in me genuit concupiscentiam omnem. Iacob. 1. Vnusquisq; tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia postquam concepit parit peccatum, peccatum uerò perfectum progignit mortem.

XVII.

Quanquam credentibus in Christum & baptizatis in mortem ipsius, omnia peccata propter verum & perpetuum Samaritanum Christum verè remittuntur, tolluntur ab eis reatus, pœna æterna, sanantur vulnera à latronibus inflicta, regenerantur Spiritu & aqua, & inchoatur in eis restitutio imaginis Dei, ad quam primus homo fuit creatus: tamen nihilominus manet etiam in Sanctis post Baptismum materiale peccati, concupiscentia carnis, ἀταξία, infirmitates, praua inclinationes, defectus,

defectus, peccata ignorantiæ & omißionis, quæ omnia pugnant contra Iusticiam in Deo, & contra normam diuinæ legis, suntq; sua natura peccata, ἀνομίαι, & remittũtur sanctis propter Christum. Hinc querela Apostoli: Noui quod non habitet in me, hoc est in carne mea, bonum. Item: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati. Peccatum nesciebam nisi lex dixisset, Non concupisces. Obnoxia est eadem de caussa, Ecclesia morti, & orat quotidiè: Dimitte nobis debita nostra. Piè dixit quoq; diuus Augustinus de remiß. peccatorum libro 1. cap. 25. de nuptijs & concupiscentijs ad Valerium, & libro 6. cap. 6. contra Iulianum: Remittitur per Baptismum concupiscentia carnis, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, quamuis reatu suo soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra.

XVIII.

Non approbamus eorum sententiam, qui statuunt, in Sanctis non esse quod rationem peccati habeat, & negant concupiscentiam in renatis sua natura esse peccatum, sed fatemur Sanctos habere peccata, & peccatum originis non tantum pœnam & caussam peccati esse, sed etiam verè peccatum esse, & pios debere iuxta Apostolicam admonitionem prauis inclinationibus resistere Spiritu, & mortificare concupiscentiam carnis, deponere veterem hominem ac induere nouum, qui iuxta Deum conditus est per iustitiam, sanctitatem, & veritatem.

Cum

XIX.

Cum duplex sit peccatum actuale, non regnans seu veniale, & regnans siue mortale, asserimus Concupiscentiam carnis in renatis veniale peccatum esse, quo Gratia, Spiritus & Fides non amittitur, si modo pij dolent propter inhærentes sordes, eiq́ue repugnant, ac credunt sibi remitti propter Mediatorem Christum, seq́ue Deo placere propter eundem Mediatorem. Vnde Apostolus præcepit militare bonam militiam, seruare fidem & bonam conscientiam, ac simul promisit, nullam esse condemnationem his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem, sed iuxta spiritum uersantur.

XX.

Hypocritarum impiorum hominum, & eorum qui discedunt à fundamentis cœlestis doctrinæ, & ruunt in delicta contra conscientiam, omnia peccata esse mortalia digna morte æterna & damnatione, testatur ipse Filius Dei Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex spiritu & aqua, non potest introire in regnum Dei. Item: Qui non credit, condemnatus est. Et Paulus ait: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. 1. Iohan. 3. Qui committit peccatum, ex Diabolo est.

XXI.

Habent præterea etiam irremissibile peccatum, qui verbum Dei prædicatum confirmatumq́ue diuinis testi-

nis testimonijs pertinaciter ad extremum vitæ spiritum reponunt, & in Epicureo isto contemtu, ac in alijs contra conscientiam peccatis cum desperatione gratiæ Dei perseuerant. Super hos certum est manere iram Dei, & maledictionem legis, & ipsorum cõuicium seu peccatum in Spiritum sanctum, nec in præsenti nec in futura vita remitti. Remißibile uerò peccatum habent, qui exemplo Dauidis & Pauli pœnitentiam agunt, & credunt sibi propter Christum, condonari peccata, vnde etiam de peccato in Spiritum sanctum à posteriori iudicandum esse arbitramur. Hanc veram de peccato Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse iudicamus, ac rogamus æternum DEVM, vt per sanguinem Filij sui vnigeniti Domini nostri IESV CHRISTI, mundare nos uelit tum ab occultis, tum ab reliquis omnibus nostris peccatis, nosq; Spiritu suo sancto gubernare, vt carnem cum concupiscentijs suis crucifigamus, & simus in Christo sancti, irreprahensibiles, accepti DEO, ac tandem liberati ab omni peccato, perueniamus ad vitam æternam, & æternam beatitudinem.

AMEN.



II.

Secunda D. Georgio Ludero.

QVÆSTIO.

V. { Cum nomen Pœnitentiæ magis congruere ad contritionem seu pauores & dolores videatur: Rectè ad totam conuersionem hominis complectentem contritionem, fidem & nouam obœdientiam accommodetur?

I.

POst doctrinam de peccato ualde necessarium est scire in Ecclesia, quid sit Pœnitentia uera, cum certum sit, quod hic locus summam totius Euangelij complectatur, & clarè monstret, quódnam præcipuum sit beneficium Filij Dei. Non satis enim est nouisse quod omnes homines sint peccatores, & nascantur filij iræ, sed etiam necesse est nos edoceri, qua ratione ac uia à peccato & morte liberemur, nimirum per gratiam DEI, quæ sine exceptione omnibus hominibus in Euangelio offertur, & agentibus pœnitentiam, ac

fide confugientibus ad Christum Mediatorem uerè contingit.

II.

In lingua latina, ut ex Gellio cernere licet, pœnitere tum dicuntur homines, cum quæ ipsi fecerunt, aut quæ ipsorum uoluntate & consilio facta sunt, ea postmodum ipsis incipiunt displicere, & sententiam suam de ijsdem mutant. Pœnitentia Græcis Μετάνοια dicitur, cuius uocis proprietatem una dictione à Latinis exprimi posse Ausonius negat. Lactantius commodè resipiscentiæ nomine reddi posse existimat.

III.

Etsi autem magis ad Contritionem seu pauores ac dolores, quam ad fidem & uiuificationem congruere pœnitentiæ uocabulum uidetur: tamen Ecclesia rectè sic nominat totam hominis conuersionem, quæ dolores & consolationem, uel ut Paulus nominat, mortificationem & uiuificationem compræhendit.

IIII.

Suntq; mutilæ & mancæ illæ ueteres descriptiones: Pœnitentia est, plangere præterita delicta, & plangenda non facere. Item: Pœnitere est peccata deflere, & flenda non committere. Non enim ostendunt disertè, quibus partibus constet & perficiatur pœnitentia, & quomodo sit salutaris. Ideo hanc bono consilio & magna circumspectione compositam, & di-

& diserte rem ipsam notantem descriptionem illius omnino retinendam esse censemus: Pœnitentia, seu conuersio ad DEVM, est contritio, id est, uerus pauor & dolor cordis propter peccata nostra, & fide in Christum accipere remißionem peccatorum, reconciliationem, iustificationem & uiuificationem, & incboare nouam obœdientiam.

V.

Ac de partibus pœnitentiæ nolumus mouere λογομαχίας, aut rixose cum quoquam contendere, si rei ipsius ueritas retineatur, ac syncere tradatur. Possunt enim tollerari qui duas pœnitentiæ partes faciunt, si quod omnino in tali partitione necessarium est cum fide indissolubili nexu nouam obœdientiam coniungant. Negat enim Apostolus nos alia fide iustificari & saluari, quam ea quæ efficax est per charitatem, hoc est, cuius præsentia per nouam obœdientiam ceu illustre signum declaratur.

VI.

Nobis tamen ualdè probatur consilium eorum, qui tres Pœnitentiæ numerant partes, nimirum Contritionem, Fidem, & nouam Obœdientiam, cum uideamus eam partitionem ad rem ipsam declarandam, & crassos quorundam circa illam errores refutandos multum momenti afferre.

VII.

Est autem Contritio uerè expauescere agnitione iræ DEI aduersus peccata nostra, & dolere quod

Deum offenderimus, sicut de huiusmodi dolore diserte inquit Ezechias: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Et de agnoscentibus sua peccata, ait Deus ipse apud Esaiam: Ad quem respiciam, nisi ad contritum spiritu, & trementem sermones meos.

VIII.

Estq; omnino aliqua contritio in agentibus pœnitentiam necessaria, iuxta dicta: Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra: & conuertimini ad Dominum. Item: Tristitia secundum Deum, pœnitentiam ad salutem non pœnitendam efficit.

IX.

Neq; tamen propter Contritionem nostram, uel alia merita remitti nobis peccata statuendum est, sicut Pontificij contendunt. Est enim huiusmodi opinio manifesta deprauatio doctrinæ Euangelij & contumelia in Filium Dei, & adducit homines ad præcipitium desperationis. Si enim oportet sufficientem esse contritionem, propter quam remißio peccatorum fiat, cum nemo statuere poßit quod eam habeat, imo certum sit, quod à nemine haberi poßit, necesse est conscientias hominum in perpetua dubitatione relinqui, quæ mater desperationis est, cum qua exitium & mors æterna coniungitur. Tradere etiam propter contritionem & alia nostra merita peccata remitti, est delere Euangelij doctrinam, & detrahere Filio Dei gloriam, quæ ipsi soli debetur. Nam ut

Euan-

Euangelium nobis gratuitam Dei misericordiam offert, ita confirmat propter solius filij Dei paßionem, mortem ac merita nobis peccata remitti, nos cum Deo reconciliari, adoptari in filios, & fide in ipsum consequi iustitiam, uitam & salutem æternam.

X.

Est etiam animaduertendus error, quod Pontificij in hac doctrina omittunt fidem, sine qua mutila & manca est pœnitentia, & perniciosus est pauor & dolor ob admissa peccata, sicut exempla Cain, Saulis, Iudæ, & similium aliorum ostendunt. Ideo omnino necesse est, in doctrina de pœnitentia, fieri mentionem fidei, quæ non tantum noticiam historiæ significat, sed etiam simul complectitur firmum assensum & fiduciam nitentem merito filij Dei, quæ usitatè sic describi solet: Fides est assentiri omni uerbo DEI nobis tradito, & in hoc promißioni gratiæ, & est fiducia promissæ misericordiæ, qua cor propter Mediatorem & per eum, liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & inuocat eum clamans, Abba pater, & hac uera consolatione acquiescit per Filium dato Spiritu sancto, ut dicitur apud Prophetam: Iustus fide sua uiuet. Et apud Apostolum: Vt promißionem spiritus accipiamus fide. Atq; hæc fides, ut rectè intelligatur, debet uniuscuiusq; animo semper obuersari admonitio D. Bernhardi dicentis: Necesse est primo omnium credere, quod remißionem peccatorum habere non poßis, nisi per indulgentiam Dei: sed adde, ut credas & hoc,

quod per ipſum peccata TIBI condonantur. Ideo etiam in Symbolo dicitur: Credo remiſsionem peccatorum, ſcilicet non ſolum alijs, ſed etiam mihi contingere per & propter CHRISTVM mediatorem. Hoc enim qui non credunt, eos in æternum perire neceſſe eſt, iuxta dictum: Qui credit in Filium, habet uitam æternam, qui autem incredulus eſt Filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

XI.

Eſt itaq; FIDES præcipua pœnitentiæ pars, quæ uel per ſummam inſcitiam, uel deteſtandam malitiam in doctrina de pœnitentia omitti à Pontificijs ſolet, quibus omnes pios, propter gloriam Dei, honorem Chriſto debitum, ueritatem Euangelij & Eccleſiæ incolumitatem ac propriam ſalutem, aduerſari neceſſe eſt.

XII.

Fidem ſequitur noua Obœdientia, quæ propriјſsimè ſecundum Pauli deſcriptionem eſt: Militare bonam militiam, retinere fidem & bonam conſcientiam. Eſtq; tam arcta fidei & bonæ conſcientiæ copulatio & coniunctio, ut ſicut nunquam ſine radijs & luce eſt Sol, nec ſine calore ignis: Ita nunquam ſine bono propoſito & aliquibus bonis operibus eſt Fides. Ac ſunt hæc duo non temporis aliquo momento, ſed ordine naturæ diſtincta. Eſtq; præſentiæ ueræ fidei in animis certum ſignum & declaratio

ratio, nouitas uitæ, iuxta dictum Christi apud Iohannem: Ex hoc cognoscent quod discipuli mei sitis, si inter uos dilexeritis. Et Apostolus ait: In Christo Iesu neq; circumcisio neq; præpucium quicquam ualet, sed Fides quæ efficax est per Charitatem.

XIII.

Estq; tantopere necessaria noua Obœdientia, ut manifestis testetur uerbis Apostolus, cum peccatis contra conscientiam fidem, absq; qua neq; remißio peccatorum, neq; iustitia & uita æterna nobis contingunt, non posse consistere, cum inquit: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Item: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur.

XIIII.

Pontificij tres Pœnitentiæ numerant partes, uidelicet, Contritionem, Confeßionem, & Satisfactionem, sed ita eas explicare consueuerunt, ut nihil sani in ea doctrina appareat, & multipliciter deprauetur promißio Euangelij, contumelia afficiatur Filius Dei, ad desperationem impellantur pauidæ mentes, & ab inuocatione Dei planè deterreantur. Primum enim omittunt, ut supra quoq; paucis ostensum fuit, maximè necessariam partem de Fide acquiescente in misericordia Dei, propter solum Mediatorem gratis promissa, Neq; de noua obœdientia quid sit,

quomodo fieri poßit, cur placeat & præstanda sit, quæ peccata maneant in Sanctis, quæ admissa, gratiam, Spiritum sanctum, & Fidem excutiant, satis clarè auditores suos erudiunt.

X V.

Deinde etiam illas partes, quas & nos admittimus, non rectè explicant, & accommodant ad fundamentum, sed hoc quantum in ipsis est, omnino labefactant & subuertunt. Nam licet & nos sequentes authoritatem Verbi DEI oportere aliquam esse Contritionem in agentibus pœnitentiam affirmemus, tamen non disputamus, an sit illa sufficiens nec ne. Scimus enim non posse mentem humanam satis agnoscere, & perspicere magnitudinem peccati, & iræ Dei aduersus illud, Nec concedimus, sicut falsò docent Pontificij, Contritionem etiamsi sufficiens esse posset, mereri remißionem peccatorum. Nam hic honor soli filio DEI debetur, iuxta dicta: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.

X V I.

Quod etiam spectat ad alteram partem, quam Confeßionem appellant, certum est, quod non uno modo ea uox in Scripturis usurpetur. Primo enim ueram Contritionem, qua dolet homo, se habere peccata quibus offenderit Deum, significat, quam & ipsam esse debere in agentibus pœnitentiam affirmamus, & hoc modo non multum interesse inter Con-

fessio-

feßionem & Contritionem, apparet. Deinde etiam significat confeßionem culpæ, coniunctam cum petitione ueniæ & reconciliationis, quam esse aliquam nouæ obœdientiæ partem fatemur. Qui enim iram & odium erga fratrem, à quo offensus est, retinet, & qui non petit, uel cupit sibi ignosci ab eo, quem offendit, is cum retineat propositum peccandi, & in peccatis contra conscientiam perseuerandi, non potest remißionem peccatorum petere à DEO. Atq; hoc est, quod apertis uerbis mandat Christus fraternam reconciliationem, inquiens: Si offeres munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid aduersus te, relinque ibi munus tuum, & uade ac prius reconcilieris cum fratre tuo. Et in oratione Dominica petimus: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et alio loco ait Christus: Sic & Pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus suis.

XVII.

Verum in neutra harum significationum intelligi uolunt Pontificij nomen Confeßionis, sed id accipiunt de omnium etiam arcanorum delictorum enumeratione, quæ fiat apud Sacerdotem, eo fine, ut huiusmodi enunciatio remißionem peccatorum mereatur, quod dogma cum plane impium sit & contumeliosum in Filium Dei, & enumeratio ipsa neq; præcepta sit usquam in Scripturis, & sit planè impoßibilis, iuxta dictum: Delicta quis intelligit, meritò ab omnibus pijs huiusmodi deliria reijciuntur, & damnantur.

XVIII.

Neq; tamen errores & superstitiones circa hanc partem taxando, Confessionem, quam uocant priuatam, reijcimus ac damnamus, Sed eam multis de causis utilem, & in Ecclesia retinendam iudicamus. Nam & commodius possunt de rebus necessarijs commonefieri, & institui in priuato colloquio rudes, & eo modo melius consuli afflictis & fluctuantibus conscientijs potest, Et est priuata absolutio, non solum euidens testimonium de applicatione promissionis Euangelij ad singulos homines, sed etiam publici moris de recipiendis lapsis, qui opponi potest Catharis & Nouatianis, qui lapsis post Baptismum omnem ueniam denegarunt.

XIX.

Cum enim non solum cogitatione de sua indignitate, sed etiam de particularitate uehementer crucientur anxiæ conscientiæ, consolatione plenissimus est mos priuatæ absolutionis, qui testatur prædicationem pœnitētiæ & remissionis peccatorum esse generalem, & pertinere ad omnes homines, & a regno Christi & beneficijs illius neminem cupidum remissionis peccatorum, iusticiæ, uitæ, & salutis æternæ excludi, iuxta dicta Christi: Venite ad me omnes. Item: Neminem ad me uenientem, eijciam foras.

XX.

Tertiam partem Pœnitentiæ fecerunt Pontificij Satisfactionem operis, quam de Operibus non mandatis

datis à Deo, quæ Indebita ab ipsis uocantur, item de fraternitatibus, indulgentijs, igne purgatorio, Mißis & Vigilijs intelligunt. Quæ nugæ cum sint horribiles corruptelæ doctrinæ Euangelij, & obscurent gloriam Dei, & merita Christi, ac multipliciter perturbent conscientias, ac labefactent Fidem, meritò rejciuntur & damnantur, & ita sunt, Dei beneficio, iam paßim uoce & stylo piorum in Ecclesia doctorum detectæ & refutatæ, ut neminem amplius, nisi data opera cæcutire uolentem, offendere poßint.

XXI.

Est enim manifestum, unicam esse Satisfactionem pro peccatis nostris, uictimam Filij DEI, & satisfactiones ciuiles, ut partem nouæ obœdientiæ necessarias quidem esse, ne fides amittatur perseuerantia in malo proposito, sed non esse ullam caussam aut meritum remißionis peccatorum, & iustificationis nostræ coram DEO.

XXII.

Quemadmodum autem meritò taxantur & damnantur errores Pontificiorum circa doctrinam de Pœnitentia, ita etiam accusanda est eorum seu inscitia, seu audacia ac improbitas, qui hac ætate bono consilio de tribus pœnitentiæ partibus traditam doctrinam carpunt atq; conuellunt.

XXIII.

Non habere enim istos suæ repræhensionis ac damnationis satis iustas & idoneas caussas, cuiuis

medio-

mediocriter in Sacrarum literarum lectione uersato liquido apparet. Primum enim falsißimum esse constat, quod negant Christum plures quam duas partes Pœnitentiæ numerare, atq; idcirco affirmant eos corrumpere sanam doctrinam de Pœnitentia, qui contritioni & fidei nouam obœdientiam, ut tertiam partem pœnitentiæ adiungunt. Quis enim ignorat nisi planè imperitus elementorum Christianæ religionis, mandasse Christum ab Apostolis prædicari in suo nomine Pœnitentiam & remißionem peccatorum, cum expressa mentione inchoationis nouæ obœdientiæ. Sic enim scribitur Matthæi ultimo: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis. Et Iohannes Baptista, Omnino requirit ab agentibus pœnitentiam Iudæis, ut dignos pœnitentia faciant fructus. Et Apostolus apertè affirmat, non retinentes bonam conscientiam circa fidem naufragium facere.

XXIIII.

Sed negant in Ecclesia ferendam esse doctrinam, quæ fidem labefaciat, & pauidis conscientijs firmam eripiat consolationem, & affirmant talem esse doctrinam statuentem nouam obœdientiam ueræ conuersionis partem esse. Scire autem isti debebant, non esse idem sumere quod probare. Nam sicut priorem argumenti partem concedimus planè, & unà cum ipsis defendimus, ita posteriorem & id quod inde inferunt nequaquam admittimus. Non enim uolumus

in lucta

in lucta fidei ad ullum opus humanum respicere pœnitentiam agentem, cum sciamus solius filij DEI merito unumquemq; credentem promißioni Euangelij iustificari, & saluari, sed requirimus iuxta præceptum Christi ueram ad Deum conuersionem, quæ nulla est, ubi manet propositum ruendi in peccata contra conscientiam, aut in his perseuerandi. Vbi enim hoc manet, fides apprehendens beneficia filij Dei, quæ singulis ad iustitiam imputatur, esse non potest. Qui enim spiritu Dei non ducuntur, illi non sunt filij Dei.

XXV.

Si qua autem sunt alia, quæ à maleuolis nostris afferuntur contra usitatam in harum regionum Ecclesijs & Scholis doctrinam, ea partim ex iam indicatis iudicari facilè possunt, partim tam sunt inepta & futilia, ut nulla indigeant refutatione, sed ipsa per se concidant & euanescant.

XXVI.

Ex ijs autem quæ attigimus, quo isti spiritu impellantur ad contradicendum ueritati, & quo consilio hostiliter bene constitutam doctrinam oppugnēt, non obscurè apparet. Ac uidemus studio contendendi & contradicendi usq; eò prouectos esse illos, ut etiam ijs quæ luce meridiana, ut dicitur, sunt clariora tenebras inferre conentur, & negent contra scripturam & manifesta exempla huius, esse distinctam remißionem pœnarum temporalium à remißione culpæ, cum uel solum exemplum primorum parentum nostro-

noſtrorum, qui remiſſa culpa maximis tamen calamitatibus & ærumnis huius uitæ & morte corporali puniti fuerunt, & pœna cædis atq; adulterij Dauidis, ac communis experientia omnium etiam ſanctorum, qui propter peccatum coguntur mortem corporalem ſubire, ipſorum errorem uel potius furorem manifeſte redarguat ac refutet.

XXVII.

Verum de his pluribus nunc diſputare ſuperſedemus, ac planè ex prædictis apparere confidimus, non ſolum quid uera pœnitentia ſit, & quibus illa partibus conſtet, ſed etiam, quod uera ratione his noua obœdientia adiungatur, quæ cum alibi copioſius, una cum cæteris ad hanc doctrinam neceſſarijs capitibus tradantur, ſummatim hoc loco attigiſſe ſufficiat.

Oramus autem ardentibus uotis æternum DEVM Patrem Domini ac Saluatoris noſtri IESV CHRISTI, ut lucem ſuæ doctrinæ etiam de hac parte apud nos accenſam, ne extingui patiatur, ſed eam clementer ad omnem poſteritatem defendat & conſeruet, ad gloriam ſanctiſsimi nominis ſui, Eccleſiæ IESV CHRISTI incrementum, & multorum hominum ſalutem.

AMEN.



III.

Tertia D. Baltasari Sartorio.

QVÆSTIO.

V. { Cum Apostolus Paulus affirmet, hominem gratis sine operibus legis, iustificari:
Nequaquam velit huiusmodi asseueratione à fide iustificante necessitatem bene operandi, seu præsentiam bonorum operum excludi?

I.



Vllum est inter omnia, quæ innumera sunt bonitatis diuinæ, opera, maius & admirabilius iustificatione hominis. Ad cœli enim & terræ, cæterarumq; in illis creaturarum fabricationem, satis erat voluntas Dei, verbo dicente expressa.

II.

Ad innocentiam autem & salutem hominis peccato & morte oppressi restituendam, etsi clementissimus Deus ingenti commiseratione, & vero

vero Paterno dolore, ex interitu hominis affectus, salutisq; humanæ cupidissimus erat, cum satisfactionem ob delictum requireret tamen æterna iustitia ipsius, ita voluit vnigenitum Filium suum, pro culpa hominis deprecantem satisfacere, & eum obœdientem secùndum immensæ misericordiæ promissionem ad imas terræ partes demitti, vt grauissimum onus peccati hominum sustineret, & ab his pœnas in se deriuaret, indignissima quæque perferendo & perpetiendo, factus abiectissimus omnium hominum, plenus despectus & doloris.

III.

Multò enim maius, & si ita loqui fas est, operosius fuit, de lata lege dispensare, & contra eius sententiam hominem seruare, quam creaturam omnem condere.

IIII.

Vt autem ad sui conditionem, homo qui nondum erat nihil quicquam contulit, ita qui iam perditus erat, multo minus ad iusticiam & salutem suam recuperandam, aliquid facere potuit.

V.

Ergo ut creatio hominis immensæ bonitatis diuinæ erat opus, ita iusticiæ & salutis eiusdem instauratio, quæ tanto constabat precio, solius misericordiæ diuinæ est meritum, Hæc .n. vt Agustini verbis

verbis utar, cum hominis conſcientia mereretur damnationem, nec eius pœnitentia ſufficeret ad ſatiſfactionem, omnem ſuperauit offenſionem.

VI.

Cum igitur hoc opere omnium ſummo, Deus maximè voluerit illuſtrem & commendatam ſuæ miſericordiæ laudem, gratiſſima etiam mente vult illud perpetuo agnoſci & celebrari, nec quicquam fert indignius, quam vel minimam reparatæ ſalutis partem, dignitati, virtuti, efficaciæ, operationi, vel quibuſcunq; meritis humanis tribui, cum omnes omnium angelorum & hominum, vniuerſæq; creaturæ, vires longe eſſent inferiores, quam vt deleto peccato & morte, hominem vitæ reſtituere Deoq; reconciliare poſſent.

VII.

Iuſtificatur autem homo, cum remiſſionem peccatorum, conſequitur, & gratuito reconciliatur Deo, & adoptatur ad vitam æternam: vt eius iuſtificatio non alia ſit, quam acceptio remiſſionis peccatorum, imputatio iuſtitiæ, & gratuita reconciliatio, ſeu acceptatio ad vitam æternam, vt teſtantur hæc dicta Tit. 3. Non ſecundum opera iuſticiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Rom. 3. Iuſtificamur gratis ipſius gratia, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem Deus propoſuit ἱλαστήριον.

VIII.

Ac tantum abest, ad sui iustificationem h
mo aliquid ut poßit, vt nec misericordiam Dei
beneficia filij Dei agnoscere, multò minus app
hendere sibiq; applicare ualeat, id quod necess
fieri à iustificando, absq; singularis gratia Dei
uelatione atq; dono. Quis enim est, qui mentem D
cognouit?

IX.

Vt autem cognosci & applicari poßint, in
narrabili bonitate, promißio statim post lapsu
primorum parentum edita est, quæ deinceps sæ
repetita est, voce Prophetarum, & declarata à
lio Dei & Apostolis, quam necesse est audiri. P
illam enim Deus semper fuit, est, & erit effica
qui per Filium dato Spiritu sancto in audientib
& non aspernantibus verbum, accendit veram f
dem, qua misericordiæ diuinæ gratia, & benefic
orum filij Dei merita apprehenduntur & appli
cantur, à credentibus, vt certò & indubitatò co
fidant, se habere remißionem peccatorum, se r
conciliatos Deo & acceptos ad vitam propter fili
um, quem Deus proposuit ipse propiciatorem.

X.

Hanc fidem promißione Dei nitentem, non
diuinitus accendi à Filio dante Spiritum sanct
per verbum, edocent clarißima hæc dicta Iohan. 6.
Nem

Nemo uenit ad me, nisi ei fuerit datũ à patre meo. Matth. 16. Beatus es Simon Bar Iona, caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis. Iohan. 6. Hoc est opus Dei vt credatis in eum, quem misit. Philipp. 1. Vobis datum est pro Christo, non solum ut credatis in eum: sed & patiamini pro eo. Iohan. 1. Deum nemo uidit vnquam, Filius qui est in sinu Patris æterni, ipse reuelauit nobis. Matt. 11. Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. 1. Corinth. 12. Nemo potest Iesum dicere Dominum, nisi in Spiritu, qui vt 2. Corinth. 4. dicitur Spiritus fidei, ita fides fructus eius, Gal. 5.

XI.

Cum autem illa fide, quæ non est humani ingenij, arbitrij & potestatis, sed Dei donum Ephes. 2. verè fiat applicatio gratiæ diuinæ, & beneficiorum vnigeniti Filij Dei, propter quem homo iustus reputatur: sæpissimè Scriptura sacra hominem fide iustificari asseuerat: Non quod tanta illius virtutis & operis sit dignitas, vt id mereatur: sed quia vnicum est Organon & instrumentum, ex peculiari Dei gratia ad hoc datum, vt merita filij gratuitò oblata accipiat, sibi vendicet, suaq; faciat.

XII.

Est enim nihil aliud, nisi mendica illa manus, quæ id, quod ex visceribus paternæ misericordiæ Dei, benigna largitur manus, apprahendit, ca-

pit & custodit. Vel est etiam quasi Pala annuli complectens & continens preciosissimum, & omnibus bonis diuenditis redimendum vnionem, qui est Christus Iesus.

XIII.

Quare inprimis verus & proprius intellectus huius propositionis: Fide iustificamur, est considerandus: Est autem Correlatiuè intelligenda: per misericordiam propter Christum promissam, quã fide accipi oportet, sumus iusti. Fides enim respicit promißionem, & ceu scopum cui intendat, perpetuò propositum habet Christum, quem intuetur, factum pro nobis peccatum, vt iustitia Dei efficeremur per illum. Huius meritis intrepidè acquiescit & firmißimè nititur. Ipsa enim licet excellens sit virtus: Tamen multò infirmior & imperfectior est, quam vt dignitati eius securè quis inniti poßit.

XIIII.

Ac vt omne id quod impetrat Fides, misericordiæ diuinæ quam maximè acceptum feratur, vtitur scriptura exclusiuis particulis χωρὶς νόμου, χωρὶς ἔργων, δωρεὰν, ἐὰν μὴ, μόνον τῇ χάριτι, *& alijs, quarum vis cum clarißimè exprimatur per particulam S O L A M, creberrimo etiam vsu omnes rectè sentientes in Ecclesia, ita illam sibi familiarem fecere, vt & nihil usurpent frequentius, & habeant, de quo dimicent, firmius.*

Est

XV.

Est autem eius vsus ob caussas potißimum quatuor pernecessarius: Prima est, vt debitus honos tribuatur Domino & Saluatori nostro Iesu Christo, tradito propter peccata nostra & resuscitato propter iustificationem nostram. II. Vt conscientiæ poßint firmam habere consolationem, quæ rata esse non potest, pendente promißione ex operum nostrorum dignitate, & non ex gratuita Dei misericordia, perinde ac Ionæ 2. dicitur: Frustra obseruant vanitates qui relinquunt misericordiam. III. Vt illustrius sit Legis & Euangelij discrimen, quod constituit clarißimè particula sola, excludens omnium operum, virtutum & meritorum dignitatem & caussam, in impetranda iusticia & vita æterna, quæ lex maximè poscit & flagitat. IIII. Vt firmior esse poßit inuocatio, cui semper obstat conspectus variorum peccatorum, lapsuum & infirmitatis, quæ condonantur, uelantur, & teguntur gratuita Dei misericordia. Propter has caussas omnium grauißimas, particula sola, mentibus firmiter infigenda est, & ambabus, vt dicitur, manibus retinenda. Nam & explicat reliquas exclusiuas, & monstrat illustrem antithesin veræ & falsæ doctrinæ de iustificatione.

XVI.

His veris & immotis fundamentis iusticiæ hominis coram Deo positis, omnino necesse est, verum & proprium sensum Exclusiuarum etiam diligen-

ter & accuratè cognoscere. Ha enim malè intellecta distorquentur, non minus ad extenuanda merita Filij Dei ab impijs, quam ad confirmandam prophanitatem & peccandi licentiam à sceleratis, qui se mala facturos vt bona eueniant, iactitant, quorum furoribus contradici necesse est.

XVII.

Sciendum itaq; est primum, nequaquam particulis illis à iustificatione hominis excludi & reijci obœdientiam, paßionem, sanguinem, mortem denique Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quibus hoc prætextu quod dicitur: Carnem non prodesse quicquam: nostris temporibus quoq; quidam non minori furore ac impietate nullam vim & efficaciam adscribendam in iustificatione hominis contenderunt.

XVIII.

Hæc est manifesta blaspbemia in Filium Dei. Cum .n. sanguis eius effusus sit in remißionem peccatorum, & sanguis eius mundet nos ab omni peccato: quomodo nō illi tota hominis iustificatio tribuenda est cum ea vt definitur à D. Paulo ex sententia Psalmi 32. nihil aliud sit, quam remißio peccati? Ac cum expresse dicatur Rom. 5. Obœdientia eius iustos constitui multos, quomodo non illius obœdientia nobis imputata, nostra iusticia est dicenda & habenda?

Atq;

XIX.

Atq; tantum abest, vt à iustificatione hominis excludantur, vt & meritum & caussa & ipsa sint iustitia. Nam horrenda est impietas, illud Ioh. 6. Caro non prodest quicquam detorquere ad sacratiss. & à Græcis ζωοποιὸν appellatam carnem filij Dei: cum de ea dulcissima extet asseueratio: Edens carnem meam & bibens sanguinem meum, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in extremo iudicio.

XX.

Deinde eiusmodi particulis, minimè reijcitur vsus verbi diuini & Sacramentorum, sicut furenter sentiunt Enthusiastæ, & nobis falsò affingitur ab aduersarijs, vt docet Apologia Confeßionis Augustanæ. His .n. ceu Medijs utitur Deus ad accendendam fidem, imputandam iustitiam, & conferendam salutem æternam. Vt dicitur Rom. 10. Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Et Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credẽti. Quare de illis, Exclusiuæ non sunt intelligendæ.

XXI.

Tertio nec etiam illa exclusam volunt à Fide, contritionem & propositum piè & religiose uiuendi. Nam vt manifestißima ita verißima est copulatiua: Agite pœnitentiam & credite Euangelio. Hæc vt præcipit Euangelio haberi fidem, quæ sola

accipitur remißio peccatorum, iustitia & vita æterna, ita flagitat simul serium & ardentem dolorem propter peccata totamq; naturæ deprauationem, & melioris vitæ frugem. Sicut expresse dicitur: Facite fructus pœnitentia dignos. Ac eodem modo D. Paulum, annunciasse gentibus vt agerent pœnitentiam, conuerterentur ad Deum, & opera facerent, quæ decerēt pœnitentiam, testatur Lucas in Actis Apostolicis cap. 26. Hæc cum indissolubili vinculo coniungantur, quis nisi in clarißima Euangelij luce cæcutiens, aut salutaris conuersionis prorsus expers, ex intellectu prauo Exclusiuarum distractionem eorum faciendam putabit?

XXII.

Poterit eum, modo conuerti uelit satis instruere, exemplum Latronis, qui ob transacta vitæ scelera dolens, verè iram Dei expauescit, & Mediatorem Filium Dei in cruce pendentem agnoscit, eiusq; merito à peccatis & æternis pœnis se liberatum iri credit: ideo certa fiducia eum inuocat, profitetur Meßiam, innocentiam eius prædicat, Deo se vt iustè punienti subijcit, & scelerum pœnarumq; suarum socium fraternè admonēdo & increpando ad pœnitentiam inuitat. Huius contritionem vt salutaris sit, excipit fides in Meßiam, cui lucta est cum terrorib. cordis, quos superatos illa vincit & erumpit in inuocationem & amorem Dei & proximi. Hæc ita fieri in salutari pœnitentia omnes pij experiuntur.

Ipsi

XXIII.

Etsi autem illa simul cum Fide concurrunt: Tamen nec meritum, nec caussa sunt iustificationis: Sed Fides est, quæ hominem peccatorem iustificat, sola, non ex propria dignitate, nec etiam ea quam ex contritione & reliquarum virtutum choro, quem illa parit, & secum trahit, habere ab aliquibus putatur: Sed quod sola apprahendat misericordiam propter Meßiam promissam, eius meritis acquiescat illisq́ʒ verè Deo reconciliatum statuat.

XXIIII.

Non igitur Contritio, bonum propositum, amor Dei, inuocatio, humilitas, confeßio, obœdientia & alia iustitiæ & caritatis in proximum opera excluduntur, ne adsint fidei: Sed omnium operum & virtutum dignitas, caussa, efficacia, meritum, fiducia, gloriatio, persuasio &c. in impetranda remißione peccatorum reyciuntur, quod nec supereminens gratiæ Dei opulentia illa ferat, nec aduersus seueritatem iudicij Dei consistere poßint.

XXV.

Falsißimum igitur est maximeq́ʒ verbo diuino contrarium, bonorum operum præsentiam, siue necessitatem benè operandi, excludi à Fide iustificante. Nam ne putetur illa eiusmodi esse, quæ sit uel Historiæ tantum noticia, qualis est etiam dæmo-

num, uel inanis & ociosa persuasio, qualis est Hypocritarum, describitur ea quod sit ἀνυπόκριτος, id est, non simulata. 1. Timoth. 1. & ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης, efficax per dilectionem. Gal. 5. Ac Dominus noster Christus Iesus, vt ostendit Matt. 7. τὸ ἀνυπόκριτον defuisse ijs, quos vt operarios iniquitatis à se repellit, ita profitetur Matth. 25. se ostensurum in extremo iudicio fidem, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην non habuisse hœdos, quos maledictos in ignem æternum est missurus.

XXVI.

Ex his clarè perspici licet, à Saluatore nostro Caritatis opera non reijci, sed & postulari. Reijci autem & damnari persuasionem & fiduciam meriti, atq; adeo omnis in impetranda vita æterna efficaciæ. Quæ quidem persuasio tam longè abest à pijs, vt quamuis eorum opera Filius Dei honorificè ornet & prædicet, ipsi tamen ea nequaquam iactitent, & vere se reputent seruos inutiles.

XXVII.

Etenim cum à Reuerendi nominis & sanctæ memoriæ Doctore Luthero, Fides in Argumento Germanico Epistolæ ad Rom. vocetur, Viuum, efficax, operosum, & potens quiddam, quod non possit non, sine intermißione benè operari, quomodo operum bonorum præsentia ab ea excludatur? imò cum Fides sit, definiente eam Epistola ad Hebræos,

rerum

rerum non apparentium substantia, & rerum spe-
randarum Argumentum, qualis Fides erit sine spe,
expectante vitæ & salutis æternæ hæreditatem,
cuius promissionem Fides in præsentia amplecti &
certò credere debet?

XXVIII.

Et cum ipsa iustificatio sit acceptio remissionis
peccatorum, & teste Christo eum multum diligere
necesse sit, cui remissa sunt multa, quomodo aut
cogitare aut sentire quis potest, se accipere remissi-
onem peccatorum, & habere Deum propicium, &
non eundem diligere? Certè aut ἀναίσθητον esse
oportet fidem, aut dilectionem, quam ex se parit,
coniunctam habere.

XXIX.

Præterea cum definiatur iustificatio, quod sit
gratuita reconciliatio seu acceptatio ad vitam æ-
ternam, qui fieri potest, vt credens quamprimum
agnoscit Deum sibi reconciliatum, & Patrem per
Filium redditum, quem monstrante Filio & per
Verbum accendente Fidem, agnoscit, non eundem
statim amet? Non illud dicam, quod perspectum
est omnibus sanis, infantes quàm primum per æta-
tem cognoscunt, deosculari & deamare parentes
suos: sed hoc potius, si credens non diligit. Ergo o-
dio habebit. Quod si oderit, fugiet potius, quam de
eius voluntate paterna sibi aliquid promittet.

Quare

XXX.

Quare aut Fidei erit coniuncta dilectio, aut necesse est illam cum peccato mortali consistere, quod est contra manifestam scripturam: Qui non diligit manet in morte, & contra Apologiam Augustanæ confessionis, sic enim legitur in Exemplaribus etiam Ienæ expreßis. Neq; vero hæc Fides est ociosa noticia, & potest stare cum peccato mortali, sed est opus Spiritus sancti, quo liberamur à morte, quo eriguntur & viuificantur perterrefactæ mentes. Item: Fides quæ accipit remißionem peccatorum, non potest existere cum peccato mortali.

XXXI.

Verißimum igitur est, Fidem iustificantem: vbicunq; & quandocunq; est, veræ dilectionis caussam esse: eamq; ex se gignere, nec absq; ea esse, nec alteram ab altera, vt proprium effectum à sua caussa, separari posse.

XXXII.

Ac ne nobis aliquo saltem veritatis prætextu affingi queat, nos cum impio Pontificiorum grege facere, & idem quod ipsi de Fide formata caritate agere: & ea, quæ de veris caußis Iustificationis initio posita sunt, nos purgabunt, & autoritas ipsa Reuerendi Domini Lutheri, sanctißimæ memoriæ, excusabit: Is enim in Epistola ad Gal. distinctè docet,

docet, quomodo Fides formata caritate non iustificet, & Fides ἀνυπόκριτος iustificet, & clarè ostendit doctrinam de Fide formata caritate ideo non ferendam, 1. Quod perfectio Fidei tribuatur charitati. 2. Quod iustificatio non fidei sed caritati potius dicetur. Horum neutrum, à nobis fieri vident & intelligunt, omnes, quibus veritas est cordi.

XXXIII.

Cum autem Fides vera non sit absq; dilectione, cui iam dubium incidere potest, de reliquo pulcerrimarum virtutum Deoq; gratissimorum operum choro, sine & Fidei adsit? Cum enim dilectio Dei nihil aliud sit, quam seruare mandata eius, 1. Ioh. 5. necesse est veram Fidem multis praeclaris virtutibus praelucere.

XXXIIII.

Quid quaeso indignius cogitari potest, non tantum de Fide, sed & de autore Fidei, qui est Spiritus sanctus, ipsam quidem Fidem accendere solam, sed aliquanto quiescere eundem, & sibi temperare, quo minus statim cum ea excitet alios pios & sanctos motus, dilectionem, spem, timorem, inuocationem Dei, gratiarum actionem, & alios pietatis & iusticiae cultus?

Nónne

XXXV.

Nónne per Christum, non modo gratia sed & veritas, nec tantum Gratia, sed donum per gratiam nobis contingit? Nónne ipse factus est nobis, non tantum sapientia & iusticia, sed & sanctificatio & redemtio? Quid autem absurdius & ineptius, quàm sanctificationem ad aliquod temporis interuallum à Iustificatione diuellere, quod non sit pars eius, sed effectus & fructus: Cum in multis effectum videre liceat posteriorem sua caussa non tempore, sed ordine naturæ, perinde ac est in Sole & luce, in vita & motu. Sic igitur verè Fidem priorem operibus & iustificationem sanctificatione statuimus, vt caussam effectu, sed non tempore verum ordine naturæ.

XXXVI.

Hanc necessariam connexionem caussæ & effectus declarat scriptura, cum nominat πίστιν ἀνυπόκριτον & ἐνεργουμένην δι' ἀγάπης, & demonstrarunt illam paßim patres cum illustribus sententijs, tum similitudinibus, ex quibus pauca subijciam.

XXXVII.

Augustinus inter alia præclarè inquit Tractatu 61. in Iohannem: Ille credit in Christum, qui sperat in eum, & diligit eum. Nam si Fidem habet sine spe & dilectione, Christum credit esse,

non

non in Christum credit. Et ad Consentium Epistola LXXXV. Pia Fides sine spe & caritate esse non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere, quod nondum videt, vt visione & speret & amet. Idem Sermone de tempore LIII. Vt ociosa Fides est sine operibus, ita nihil proficiunt opera bona sine Fide recta. Bernhardus Sermone XXIIII. in Cantica canticorum inquit: Quid diuidis actum à Fide? iniquè diuidis, Fidem perimens tuam: Nam Fides sine operibus mortua est.

XXXVIII.

Nota est etiam Reuerendi Domini Lutheri vox: Fides iustificat sola, sed non est sola: Idem in cap. 15. Genes. Scimus Fidem nunquam esse solam, sed adferre secum dilectionem, & alia multiuaria dona. Ibidem: Fides secum ducit cumulum multarum pulcerrimarum virtutum, & nunquam est sola. Et cap. XXII. eiusdem operis: Fides ita adhæret operibus, vt non poßit ab illis separari. In 2. capite Epistolæ ad Galatas. Fides sine operibus nullius est momenti & vsus. Ac in argumento 2. Epistolæ Petri dicit eam esse scriptam contra istos, qui putant Fidem sine operibus esse.

XXXIX.

In Argumento autem Epistolæ ad Roman. vtitur hoc simili: Tam impoßibile est Fidem separare ab operibus, quam impoßibile est vrere & lucere ab

cere ab igni separari. Et in cap. 3. ad Gal. confert connexionem fidei & operum, Caussæ scilicet & effectus, copulationi duarum naturarum in Christo, quæ certè ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως vnita sunt.

XL.

Ex his quid clarius, quid dilucidius aut illustrius, quàm per exclusiuas operum bonorum præsentiam à vera fide non excludi? Quod ergo attinet ad hoc, in actum ne iustificandi, qui nescio quo circulo, articuloque fingitur, admittatur, adducor vt hoc asseuerem: Cum in iustificatione Fides verè accipit remißionem peccatorum, agnoscit & statuit Deum patrem, & certò sibi promittit hæreditatem vitæ æternæ, non posse non, eam illo ipso articulo momentoque dilectionem & spem ex se gignere. Alioqui aut vera fides non erit, aut prorsus ἀναίσθητος. Cum igitur hoc fiat, quis non videt opera, nec à fide excludi aut separari posse, etiam in ipso actu iustificandi? Adsunt autem illi non vt caussa, non vt meritum, sed vt fructus in quibus Fides lucet.

XLI.

Ac imaginatio illa, de actu peculiari certo foro, certoque articulo temporis circumscripto, quàm aliena sit à sacra scriptura, quis est qui non intelligat? Nam cum iustificatio nostra sit remißionis peccatorum acceptio, & remißionem peccatorum, non tantum omnibus diebus, sed & aßiduè peti necesse sit,

cesse sit,

cesse sit, secundum id quod dicitur: Remitte nobis debita nostra, qui potest iam ad certum Articulum temporis, iustificatio restringi? Certè illa imaginatio de aliquo peculiari tempore, non caret periculo grauissimo.

XLII.

Non ignoro autem contra hanc nostram sententiam ualdè plausibiliter obijci: Ergo nostra Opera in conspectum Dei adducuntur, & eius iudicio opponuntur? Quod quidem vt Blasphemum est in Filium Dei, ita periculosissimum conscientijs. Huic obiectioni licet respondere possem, aliud est præsentia esse opera, aliud ad opera se conuertere, Vel potius ea Deo obuertere & opponere: quod fieri solet in persuasione meriti, caussæ & efficaciæ, quæ iurè damnatur: tamen malo Reuerendi & magni nominis Lutherum, pro me ei satisfacere. Is autem in 15. cap. Genes. ait: Scio Fidem non esse absq; eiusmodi donis, Sed hic quæstio est, quid vtriq; Fidei & Operibus conueniat: Clarè & expresse dico, quid Fides per se sola agat & operetur, & non quibus cum virtutibus & operibus agat & ornata sit: Fides autem per se sola apprahendit promissionem, credit Dei promissis, & quod offert & dat illi Deus, porrecta manu accipit: sed dilectio, spes, patientia &c. audiunt quod Deus mandat & præcipit, non quod promittit, id quod est solius fidei. Hæc clarius exponuntur in sequentibus. Nam vt Deus secundum Prophetam Ieremiam po-

tißimum respicit fidem, & propter fidem personam. Ita Fides respicit promißionem gratuitæ misericordiæ Dei, quæ sola iustificat, non ad opera, quæ se submittere debent Deo, eiq; seruire.

XLIII.

Posset & ijs aliquis moueri, quæ dicuntur à D. Paulo, sine lege reuelari iusticiam Dei, & absq; operibus hominem iustificari. Item: Deum iustificare impium, id est, non habentem opera bona & operanti mercedem non imputari pro gratia Dei, sed pro debito. Sed si quis uelit, animaduertet eorum declarationem partim ex supra positis, partim ex contextu narrationis Apostolicæ pendere.

XLIIII.

Nam etsi promißio Euangelij nobis reuelata est sine lege, tamen est comprobata testimonio legis, & cum Christus sit finis legis, Lex per Fidem promißionis stabilitur. Hæc Fides iustificat sola, non (dicente Augustino in lib. de Fide & Operibus) vt ea percepta & professa, opera iusticiæ contemnantur, Sed vt sciat se quisq; per Fidem posse iustificari, etiamsi opera legis non præcesserint, sequuntur enim iustificatum & non præcedunt iustificandum: Sequuntur autem non ex interuallo temporis. Idem in Psal. 67. ait, Sine bonorum operum meritis iustificatur impius, sicut dicit Apostolus, credenti in eum qui iustificat impium, deputatur

putatur

putatur Fides ad iusticiam, vt deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari.

X L V.

Præterea comparatio quam instituit Paulus inter operantem & credentem, illustris est ex Antithesi vocabulorum Fidei & Operum, Gratiæ & Mercedis, imputationis & debiti. Hæc ita inter se confert: Vt operanti non imputatur, sed debetur merces iusticiæ: Ita credenti non debetur, sed Fides imputatur per gratiam ad iusticiam. Confert autem, vt inde colligat & ostendat, Abraham non ex operibus, sed ex Fide iustificatum: cum scriptura dicat, eum credidisse, & imputatum esse ei ad iusticiam. Hanc esse Apostoli Pauli sententiam series narrationis, quæ perspicua est, euidenter docet. Non igitur illa eò trahenda est quasi excluderet benè operandi necessitatem à Fide. Sed manifesta est asseueratio, eum qui iustificatur fide, non posse laudem iusticiæ habere ex operibus. Et contra eum, qui ex operibus iusticiæ laudem quærit, tam à fide, quàm à gratia alienum. Vt enim opera diligit, neglecta fide, ita mercedem sectatur spreta gratia.

X L V I.

Ac verum & proprium intellectum hunc esse exclusiuarum, vt omnium maximè demonstrat Paulus: cum dicit exclusam esse gloriationem, ita

omnes omnibus temporibus Orthodoxi senserunt. Quare vt illæ constanter & contra impiam & blasphemam Pharisæorum & Pelagianorum sententiam propter quatuor caussas, supra positas, vrgendæ sunt: Ita proprius & genuinus eorum sensus contra Enthusiasticos & Antinomicos furores firmiter retinendus. Contra quos ipse quidem Filius Dei, qui veritas est, asserat puritatem doctrinæ suæ, eámque in tranquillo Ecclesiæ & Reipublicæ statu benignè tueatur. Cui cum æterno Patre in communitate sancti Spiritus sit laus, honor, & maiestas, seculis in seculis,

AMEN.



IIII.

Quarta D. Zachariæ Schiltero.

QVÆSTIO.

V. Cum iuſtitia & ſalus æterna contingat credentibus ſola Dei miſericordia propter Filium Dei mediatorem, nullo operum ſuorum merito aut dignitate:
Incoatio nouæ obœdientiæ ſecundum præſcriptum legis diuinæ in his rectè dicatur neceſſaria?

I.



Eligioſa pietas nequaquam dubitat, quin ueræ doctrinæ de iuſtificatione hominis coram DEO *utiliter, immò neceſſariò attexatur commonefactio de neceßitate bonorum operum ſeu nouæ obœdientiæ in reconciliatis & renatis incoandæ, partim quia* Paulus *methodi optimus magiſter in omnibus fermè epiſtolis hunc ordinem ſequitur, ut doctrinæ de* Iuſtificatione *cohortationem ad ſtudium bonorum operum annectat, partim ut ſycophantiæ & calumniæ aduerſariorum refutentur, qui doctrinam* Eccleſiarum *noſtrarum de iuſtificatione hominis co-*

nis coram DEO gratuita per fidem abſq; operum
merito, tanquam corruptelam & peſtem bonorum
morum & laxationem diſciplinæ & Epicureæ ſe-
curitatis cauſam damnant, & fulmine anathematis
feriunt, partim ut taxetur profanitas, imò horri-
bilis furor ueterum & recentium Antinomorum,
Libertinorum, Anabaptiſtarum, & Epicuri de gre-
ge porcorum, qui libertatem Euangelij cum doctri-
na, tum uitæ exemplo uſq; adeo amplificant, ac ſi
omnium legum repagulis remotis infinita peccandi
licentia Euangelio conceſſa ſit, credentibus non mo-
do à maledictione, ſed etiam ab obœdientia legis per
Chriſtum liberatis, ita ut ἀδιάφορος illa ſit, arbitra-
ria & non neceſſaria: DEO ſcilicet non curante
illam, nec ipſi poſsint excidere gratia DEI, excu-
tere Spiritum ſanctum & nouo obſtringi reatu iræ
DEI, pœnarum præſentium & æternarum, quæ-
cunq; tandem ſit uita eorum, & quantumuis impu-
ra & peccatis contra conſcientiam contaminata.
Quin etiam pernicioſa eſſe ad ſalutem bona opera &
ſummam Chriſtianorum artem eſſe neſcire legem.
Cohorreſcit pius animus ſola mentione profanarum
& prodigioſarum uocum barbarica impietate pellē-
tium legem ex Eccleſia, ne ſit unica & immota nor-
ma operum & cultuum DEO præſtandorum in hac
uita, delentium conuerſionem in credentibus, euer-
tentium neceſſarium diſcrimen peccati regnantis &
non regnantis, deniq; inciſo neruo pietatis & mo-
deſtiæ Chriſtianæ, feneſtram aperientium ſecuris
ingenijs furenter laxandi frenos omnibus iniuſtis
cupidi-

cupiditatibus, cum præsentißimo periculo uitæ, & salutis æternæ.

II.

Intelligimus autem nomine bonorum operum, seu nouæ obœdientiæ in renatis incoandæ, non externam tantum disciplinam seu gubernationem locomotiuæ, neq; Philosophicam quandam moderationem affectuum & cupiditatum, ne in externa flagitia erumpant, quam duæ causæ efficere poßunt, mens intelligens officia uirtutis, & uoluntas obtemperans recto iudicio mentis (quanquam hæc facultas in hac infirmitate naturæ languidior est, & sæpe impeditur insidijs diaboli) ad quam scil: Pontificij cum Pharisæis nomen bonorum operum falsò astringunt, quæ est umbra tantum ueræ obœdientiæ, & misera atq; immunda hypocrisis, non dißimilis folijs fici, quibus primi parentes tristißima uulnera à Diabolo sibi inflicta non sanabant, nec cætera membra omnia, in quæ uirus iam influxerat, sed unius tantum partis deformitatem externam utcunq; tegebant: Verum hac mentione significamus totam obœdientiam interiorem & exteriorem, iuxta Decalogum, præcipuè uerò nouitatem spiritus, hoc est, nouam lucem ueræ agnitionis DEI *& rectum consilium in mente, firmam* προαίρεσιν *uitandi peccata, & obœdiendi* DEO *iuxta omnia præcepta, propter hunc finem, ut* DEVS *honore afficiatur, in uoluntate, quibus indißolubili nexu copulata est in corde uera & non simulata gubernatio affectuum*

ſecundum legem DEI *prælucente fide, uerus timor* DEI*, fiducia, dilectio, ſpes, patientia, uera inuocatio, iuſticia erga proximos, caſtitas, ueritas, & aliæ egregiæ uirtutes á filio* DEI *uiuificante cor Spiritu ſancto dato per miniſterium uerbi & uſum ſacramentorum cum fide accenſæ, quæ etſi non ſunt integra impletio legis & conformitas cum* DEO *quæ tum demum nobis reſtituetur, cum abolito peccato & morte & communicata perfecta ſapientia, iuſticia & uita,* DEVS *erit omnia in omnibus ſanctis reſuſcitatis, ſuntq; tantum initia & primitiæ ueræ & æternæ iuſtitiæ & uitæ, multis magnis næuis & ſordibus inhærentis peccati horribiliter deformatæ: Certiß. eſt tamen placere eas* DEO προσγραμμένης τῆς πίστεως*, ut Euagrius dixit, & ornari ampliſsimis præmijs, cum in hac, tum in futura uita propter filium mediatorem inſtar umbraculi & propitiatorij tegentis maculas & ſordes languidæ & imperfectæ obœdientiæ credentium applicatione perfectiſsimæ obœdientiæ & meritorum ſuorum, ne in nos iræ diuinæ ignis omnia* DEO *non conformia conſumens in hac uita exardeſcat, ſicut teſtatur exemplum emendati latronis, in quo uiua imago conuerſionis & ſaluationis ſingulorum electorum depicta eſt.*

III.

Hac uera & perſpicua definitione, quæ ſummam omnium quæſtionum de bonis operibus continet, conſtituta, conſtanter cùm pontificiorum crimina-

minationibus, tùm Antinomorum furoribus oppo-nimus hanc neq; dubiam, neq; obscuram, neq; im-propriam, neq; insidiosam aut periculosam assertionem: NECESSARIA ESSE BONA OPERA, id est nouam obœdientiam, Etsi enim bona opera, neq; ex toto, neq; ex parte merentur remissionem uel culpæ uel pœnæ æternæ, neq; sunt causa siue principalis, siue minus principalis iustitiæ coram DEO, quam soli obœdientiæ & merito Christi imputato credenti in solidum & ex asse, quod dicitur, tribuendam testatur tota doctrina Euangelij: tamen huius necessitatis multæ sunt aliæ causæ grauissimæ, quæ partim ex doctrina legis, partim ex articulis Symboli nostri, partim ex fine & usu sacramentorum desumi possunt.

IIII.

Ac primum consideratio LEGIS diuinæ, quæ æterna & immutabilis norma sapientiæ & iustitiæ in DEO est, locuples testis est nequaquam solui donatione iustitiæ Christi, sed manere in omnem æternitatem ratum & firmum DEBITVM præstandæ DEO obœdientiæ, quod non uiolentam aliquam coactionem significat, qua à seruis inuitis metu pœnæ aliquid operis extorquetur, ut quidam insulsè interpretantur, sed immotum ordinem diuinum, quo obligata creatura rationalis sponté, quatenus renata est, præstat obœdientiam creatori cum quadam εὐλαβείᾳ filiali & lætitia acquiescente in DEO prælucente uera fide, iuxta præcepta passim

 repetita

repetita in doctrina Euangelij: Debitores sumus. Nemini quicquam debeatis, præter dilectionem. Quod debuimus, fecimus. Item Hæc est uoluntas DEI, sanctificatio uestra. Item, Finis mandati est dilectio ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Item, Milita bonam militiam.

V.

Non igitur liberatio à lege morali, de qua Paulus paßim concionatur, intelligatur de toto termino, & de obœdientia legis, sicut furiosi Antinomi contendunt: non enim esset illa dispensatio, sed dißipatio, deletio & abrogatio legis pugnans cum dicto Christi, Non ueni soluere sed implere legem, item fide stabilimus legem: sed de parte termini, uidelicet de pœnis æternis. Semper enim liberatos à culpa, & reatu pœnarum æternarum per fidem obligat lex ad obœdientiam & conformitatem cum hac norma in hac uita incoandam, & præstandam diligentiam & curam uitandi peccata mortalia, ita ut uel amplectentes & pertinaciter defendentes corruptelas fundamenti, uel ruentes contra conscientiam, iacturam faciant fidei, gratiæ DEI, Spiritus sancti, hæreditatis uitæ, & salutis æternæ, & pœnis legis rursus opprimantur præsentibus & æternis, nisi conuertantur, iuxta dicta: Si secundum carnem uixeritis, moriemini. Qui facit peccatum ex Diabolo est. Qui talia faciunt regnum DEI non poßidebunt, Item bona conscientia repulsa, fidei quidem fecerunt naufragium.

Omni-

VI.

Omnium autem euidentißime refutatur Antinomorum imaginatio tribus articulis symboli nostri, quorum PRIMVS testatur in hunc finem nos ad imaginem Dei conditos, ut Deum celebremus doctrina & obœdiētia ad præscriptum uerbi ipsius composita, ut dicitur, Esaiæ 61. nos esse plantas satas ad ornandam gloriam DEI, idq; non ut ipsi melius sit, qui est per se benedictus in secula, sed ut nostro exemplo etiam alij inuitentur ad agnitionem & celebrationem DEI, nec cuiquam scandalum præbeatur, aut attrahantur pœnæ publicæ, sicut paßim grauiter urgent hunc articulum in renatis, Christus & Apostoli, ut liquidò appareat credentes à fine, ad quem conditi sunt, nequaquam absolui per Euangelium, sed nouo uinculo ad eundem obligari & obstringi.

VII.

Cum autem natura humana in hac infirmitate, integra & perfecta obœdientia archetypo sese conformare non magis poßit, quam æthiops pellem suam mutare, aut pardus uarietates suas, ut loquitur Ieremias, gratißimam addit consolationem anxijs mentibus SECVNDVS ARTICVLVS testificans, ideo miranda DEI bonitate missum esse filium DEI, ut ius legis, hoc est, amissam obœdientiam legi debitam, non modo imputatione meriti, sed etiam incoatione nouæ obœdientiæ in hac uita nobis restitueret, perficiendam in omni æternita-

nitate. Quemadmodum enim liberauit Israëlitas DEVS á tyrannide Pharaonis & Aegyptiorum, non ut deinceps Aegyptiorum, sed redemtoris DEI sese seruituti totos addicerent, ita certò statuendum est, non ideò sustinuisse ingens incendium iræ diuinæ in sese effusæ & coniunctos cum hoc dolores inenarrabiles λυτρωτὴν nostrum sudantem sanguinem & morientem in cruce, ut confirmaretur & augeretur in nobis peccatum, & infinita uiolandi legem concederetur licentia, qualem malé feriati Antinomi affectant, sed ut peccato & morte, merito & efficacia huius in homine deletis & æternis bonis luce sapientiæ, iustitia & uita restitutis, homo rursus fieret templum DEI, & uas sanctificatum in honorem DEI, accommodum usibus Domini & ad omne opus bonum præparatum, ut 2. Tim. 2. scriptum est. Verißimum enim hac quoq; in parte est, quod Iurisconsulti dicunt: Finem emtionis esse mutationem dominij, teste Apostolo 1. Corint. 6. De hoc fine redemtionis nostræ Zacharias pater Baptistæ Lucæ 1. inquit: Vt liberati de manu inimicorum nostrorum seruiremus ipsi in sanctitate, & iustitia coram ipso cunctis diebus uitæ nostræ. Et Paulus 2. Corint. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui uiuunt iam non sibi uiuant, sed Christo. Et ad Ephes. 2. In Christo Iesu conditi sumus ad bona opera. Et ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem sectatorem bonorum operum. Et Petrus in suis Epistolis paßim in hanc sententiam concionatur grauißimé.

Porrò

VIII.

Porrò cum imbecilla natura humana secundo articulo edocta de toto beneficio filij Dei, quo ius legis in nobis restituitur, quod consistit in merito, quod imputando nobis applicatur per fidem, & in efficacia illius, de modo quo efficaciæ filij DEI *fiat particeps, non poßit non esse uehementer solicita, ideo aptißimo ordine subijcit* TERTIVS ARTICVLVS *anxijs mentibus rursus consolationem dulcißimam, ostendens cum uera & uiua fide, accipiente imputationem alienæ iustitiæ Christi, qualem articuli omnes requirunt, in uera conuersione arctißimo uinculo copulatam esse donationem Spiritus sancti, qui cum sit substantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium & Viuificator, non potest non tales motus & uitam qualis ipse est, in credentibus accendere. Ideo Paulus inquit: Qui ducuntur Spiritu* DEI, *hi sunt filij Dei. Et qui non habet Spiritum Christi, hic non est eius. Item: Euangelium est potentia* DEI. *Item, ut promißionem spiritus accipiamus per fidem.*

IX.

Ac disertè Spiritus sanctus non modo Spiritus GRATIAE, *sed etiam* PRECVM *uocatur, quod non tantum Fidem accendat & confirmet per uocem Euangelij & usum Sacramentorum, qua fit consolatio in corde & lætitia acquiescens in Deo,*

quæ

quæ nihil est aliud, quam testificatio quædam, quod simus in gratia DEI, & retracti ex inferis, Sed quod cum hac consolatione fidei sine interuallo & successione temporis simul ueram INVOCATIONEM accendat, quæ secum ducit chorum & comitatum pulcerrimarum uirtutum spiritualium, uidelicet timoris DEI, bonæ conscientiæ, spei, deniq; totius conuersionis, quæ ut cum iustificatione, ita & cum inuocatione adamantino uinculo connexa est. Et fons atq; incoatio est totius nouæ & æternæ iustitiæ & uitæ, iuxta dicta: Fide purificans corda. Et Psal. 119. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum. Et 2. Cor. 3. Nos omnes retecta facie &c. Et de uera Contritione Augustinus inquit: Initium bonorum operum est confessio malorum operum.

X.

Hac de caussa Filius DEI seipsum generosissimæ & fructuosissimæ Viti, & Capiti corporis sui, quod est Ecclesia: Fide uerò sibi insitos fructiferis palmitibus & membris corporis comparat, quod sicut corpus à capite sensum, motum & uitam accipit, & felix prouentus fructuum bonæ indolis in arboribus uitibusq;, & indiuiduus comes & τεκμήριον est: ita non potest ille, quòd uita, uera lux hominum & Sol iustitiæ ipse sit, sua efficaci præsentia & inhabitatione fide in se manentes ac perseuerantes sibiq;

ut capiti

capiti rursus agglutinatos non illustrare, uiuificare, & fructibus spiritus & iustitiæ replere, ut his ipsis donis conuicti sciamus, quod nos in eo maneamus, & ipse in nobis, ut Iohannes inquit. Ideo idem Apostolus uim & uirtutem diuini, & immortalis seminis in renatis paßim licentiæ carnis opponit, omnis natus ex DEO, inquiens, non peccat, quia semen DEI manet in eo. Item: Omnis qui non facit iustitiam, non est ex DEO. Item: Natus ex Deo custodit se, & malus non attingit eum.

XI.

Etsi autem negari non potest, scintillas uirtutum spiritualium initio conuersionis, sicut & fidei ipsius ualde sentiri interdum exiguas, nec uno momento nouitatem spiritus totam perfici & absolui, atq; adeò ad omnem uitam renatorum & perpetua exercitia pœnitentiæ pertinere, habentem sua ut initia: ita incrementa quoq; & progressus, Spiritu sancto subinde maiorem lucem & ardentiores motus ac opera magis conspicua in homine accendente, transformando eum ad imaginem DEI, secundum quam conditus est in iustitia & sanctitate ueritatis, à gloria in gloriam, ut spiritu uiuens, spiritu magis atq; magis incedat & ambulet, solicitus quomodo bonis operibus præsit, ut quæcunq; sunt uera, honesta, iusta, pura, commoda, quæcunq; boni nominis, si qua uirtus, si qua laus, hæc cogitet & faciat, licet in magna

infir-

infirmitate carnis reliqua, ſicut in uulnere ſanari cœpto magna pars adhuc reſtat putris & purulenta: Hæc quamuis ita ſint, fieri tamen non poteſt, ut efficacia Filij DEI, quæ fit per Euangelium & per uſum Sacramentorum dato Spiritu ſancto, uel uno momento ab ipſius præſentia in credente diuellatur, & ſeiungatur. Sicut enim DEVS ipſe per ſe non eſt ocioſus unquam, ſed merus actus eſt, ut uerißime locuti ſunt ueteres: ita ne ad momentum quidem ἄεργον & fructibus ſpiritus uacuum relinquit eum, in quo habitat, ita ut noua obœdientia à fide non aliter abeſſe nequeat, atq; lux ab ortu Solis, calor ab igni, ſpiratio & motus à uiuente & cæteri effectus à propria cauſſa poſita in actu, ſpacio temporis ſiue longo ſiue breui, ſeparari nullo modo poſſunt, etſi ordinem, quem natura rerum gignit, diſtingui utcunq; illa poſſe, non ſit obſcurum.

XII.

Ideo Fidem ἄκαρπον καὶ ἄεργον ut mortuam & ſimulatam, imò inane ſomnium aut uerius mendacium paßim apertè reijcit & damnat Scriptura cùm uniuerſa, tùm inprimis non admodum obſcuræ epiſtolæ Iacobi, Petri & Iohannis, quarum commune argumentum eſt grauißima exhortatio credentium, ut puritate uitæ & caritate fraterna Chriſtum exprimant & fidem ſuam conſpiciendam præbeant.

Huc per-

XIII.

Huc pertinent grauißimæ sententiæ Luthe-ri: Impoßibile est Fidem esse sine aßiduis, multis & magnis operibus. Fides iustificat sola, sed nunquam est sola. Fides sine operibus est mortua, imò non est fides. Impoßibilis est separatio fidei & operum. Dare credentem & non bene operantem est implicatio contradictionis. Item: Similitudo de fasciculo multiplicium seminum & granorum. Gen. 15.

XIIII.

Tantum autem abest, vt opera fidei antepo-namus, impiè colludentes cum Pontificijs, qui fingunt operibus iustificationem præcedentibus præparari homines merito congrui ad gratiam, sicut turbulenti quidam nos falso criminantur, vt cum Scriptura, Augustino, Luthero, & Apologia aperte illa fidem sequi & comitari, sine tamen distinctione temporis, fateamur, quod fructus arbore priores nullo modo esse posse, non poßimus non meminisse. Ac ne quis mentione nouæ obœdientiæ seu bonorum operum excludi à nobis fidem suspicari posit, singulari studio retinemus & vrgemus in his scholis & Ecclesijs doctrinam duobus axiomatibus à Chrysostomo comprahensam: οὐδὲν ὄφελος ἀγάπης πίστεως χωρὶς, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἂν γένοιτο ἀγάπη ἑτέρως.

X V.

Diligenter etiam necessitas & debitum præsentiæ operum in renatis, (quam vt partem veræ pœnitentiæ & conuersionis ad Deum & effectum ac fructum, seu testimonium, seu signum consequẽs fidei propter inseparabilem connexionem & consensum caussæ & effectus, simplici & pio studio vrgemus contra Antinomos, sequentes ductum & auspicia Apostolorum docentium, quod Fides per dilectionem sit efficax. Item: Scimus quod transiuimus à morte ad vitam, quia diligimus fratres. Item: Si cor nostrum non condemnauerit nos &c.) discerni debet à merito, dignitate, virtute & efficacia operum in salutis negocio, pro qua propugnatores iustitiæ Fidei formatæ caritate Pontificij dimicant, opera cum iustitia Christi societate meriti & dignitatis coniuncta iudicio Dei opponentes & augmenti ac incrementi nonnihil ex coniunctione bonorum operum accedere ineptiss. fingentes iustitiæ Fidei, quæ ex inexhausta plenitudine meritorum Christi perfectissima & absolutissima est, atq; adeò, vt opera hoc respectu Fidei adiuncta & assuta damni potius & σκυβάλων quam adiumenti aut incrementi rationem habere affirmet Apostolus. Atq; nota sunt omnibus, Dei beneficio, caussæ, cur usurpentur & fideliter inculcentur in articulo Iustificationis particulæ Exclusiuæ, videlicet vt exclusa non quidem præsentia obœdientiæ & piorum motuum à saluandis, vt

dam pertinaciter contendunt, sed conditione dignitatis & meriti nostrorum operum, filio Dei suus honor constet & certa de gratuita reconciliatione conscientia vincere dubitationes & terrores & alacriter Deum inuocare poßit.

XVI.

Postremò confirmant hanc nostram sententiam de neceßitate nouæ obœdientiæ in renatis Sacramenta, quæ non tantum sunt sigilla iustitiæ fidei, Sed etiam Symbola renouationis spiritualis, vt Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum obligans omnes homines ad agnitionem & cultum Dei & admonens renatos, vt vi mortis & sepulturæ Christi mortificent carnem cum suis concupiscentijs & virtute atque efficacia resurrectionis eiusdem, de morte peccati ad vitam resurgant iustitiæ per Spiritum sanctum, idque in spem lætæ resurrectionis mortuorum, ad vitam æternam, sicut Apostolus inquit: Quod si spiritus excitantis Iesum a mortuis habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter ipsius Spiritum habitantem in vobis, vt quotquot in hac vita à peccatis ad nouitatem vitæ non resurrexerint, eos neque in extremo die à morte ad æternam vitam per eundem spiritum resurrecturos esse rectißimè concludatur, præsertim eodem Apostolo alibi dicente: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item: Qui

hanc spem habet sanctificat seipsum &c. Item 2. Pet. 1. *efficiemini diuinæ consortes naturæ, si modo refugeritis à corruptione, quæ est in mundo per concupiscentiam.* Et 1. Cor 10. de Cœna Domini *scriptum est: Vnus panis & vnum corpus sumus, quotquot eundem panem manducamus.*

Possent hæc sanè pluribus illustrari & confirmari: sed quid opus est verbis, vbi res ipsa loquitur? Doleamus *potius Antinomorùm siue affectatam cæcitatem, qua ad clarißimam lucem doctrinæ oculos occludunt in semel arrepta opinione quomodocunq; retinenda & defendenda obstinatè perseuerantes, siue impudentiam & peruersitatem, qua agnitæ veritati contra conscientiam contradicere non desistunt atq; vtramq; improbitatem toto pectore detestemur & fugiamus tanquam* σαρκασμὸν *diaboli acerbè illudentis & insultantis languidæ & frigidæ senectæ mundi, in qua refrigescente caritate abundat iniquitas & transfertur gratia* εἰς ἀσέλγειαν. *Quin potius, quantum hoc donum sit, quod in hac vita incoat in nobis Filius Dei, sæpè & attentè cogitemus idq; grati retinere studeamus accensi vero* ζήλῳ *piorum & sanctorum operum, & inter magna ac multiplicia impedimenta, quæ studio bonorum operum, partim intus, partim foris obijciuntur, assiduè implorantes auxilium & gubernationem Spiritus sancti, qui vt bonorum operum* ἀρχηγὸς *est: ita eorundem* τελειώτης καὶ βεβαιώτης μό

νιμος

qui & certißimè futurus est, & quanquam intel-
ligimus per se manca, mutila & immunda esse o-
pera nostra, nec dißimilia sordidis centonibus, vt
Esaias inquit: tamen certò statuamus placere Deo
propter filium, in quo sumus completi, eumq́; hac
sua dona amplißimis præmijs cum in hac, tum in
altera vita paterna bonitate corona-
turum esse, cui sit laus, honor,
victoria, seculis in-
finitis,

A M E N.

